



Dissertatio medica inauguralis de plantarum indigenarum usu in medicina

<https://hdl.handle.net/1874/319677>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PLANTARUM INDIGENARUM USU IN MEDICINA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,

JUR. UTR. DOCT. PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,


PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

DAVID JACOBUS COSTER,

AMSTELODAMENSIS,

AD DIEM XXVIII M. MAJI MDCCCLI, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.



AMSTELODAMI,

APUD M. COSTER, JAC. FIL.

MDCCCLI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILOSOPHY DEPARTMENT

1912

WALTER D. WATSON

PHILOSOPHY DEPARTMENT

WALTER D. WATSON

PHILOSOPHY DEPARTMENT

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

DAVID JACOBUS COSTER

PHILOSOPHY DEPARTMENT

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON

WALTER D. WATSON


WALTER D. WATSON

PROEMIIUM

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

PROOEMIUM.



Die ganze Pflanzenwelt, wenn man nur in ihr etwas Anderes sehen will als Material fürs Herbarium, bietet so mannigfaltige Berührungspuncte dem Menschen dar, dass derjenige, welcher sich dem Studium derselben hingiebt, bei weitem eher von den sich andrängenden interessanten Fragen und Aufgaben erdrückt wird, als über Mangel an Stoff zu klagen hätte."

Quum durante sexennio, quo studiis medicis incubui, omne quo frui licuit otium ad Botanices studium contulerim, saepissime illam praestantissimi SCHLEIDENI sententiam veram cognovi. Jam inter varia problemata ad eam pertinentia unum illud dignissimum est ad quod animum advertant medici: utrum singularium regionum Flora incolis sufficiat ad usum therapeuticum, an vero pleraque medicamenta vegetabilia aliunde petenda sint? Statim apparet hanc quaes-

tionem non universe sed singularium regionum Florae ratione habita solvendam esse. Itaque haud incongruum duxi, lauream doctoralem adepturus, de hoc argumento Dissertationem conscribere et quidem respectu Florae Neerlandicae. Olim jam alios eandem materiam tractasse, neminem in literatura botanica versatum latebit. Valde autem doleo, quod omnia hucusque a nostratibus hac de re literis mandata mihi in Dissertatione conscribenda nihil omnino profuerunt. Mihi enim proposui in genere exponere cur hodierno tempore usus plantarum indigenarum praeferendus videatur exoticis, dum alii auctores magis spectarunt ad singularium plantarum virtutes medicatrices, quod unicuique apparebit vel obiter illorum scripta perlustranti. Memoriae causa horum titulos hic referam:

JOANNES BEVEROVICIUS (JAN VAN BEVERWYCK), *Introductio ad medicinam indigenam.* Lugd.-Bat. 1644.

BURTIN, *Quels sont les végétaux indigènes, que l'on pourrait substituer dans les Pays-Bas aux végétaux exotiques, relativement aux differents usages de la vie?* Bruxelles 1784. *Comment. praemio ornata ab Acad. des Scienc. de Brux. A°.* 1783.

JOB BASTER, *Commentat. in Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij van Wetenschappen te Haarlem.* XIX.

S. J. VAN GEUNS, Mz., *Opgave van eenige nog weinig bekende en nuttige eigenschappen van zogenoemde onkruiden en andere inlandsche plantgewassen, in Algemeene Konst- en Letterbode.* Haarlem 1792. I. p. 129.

————— *Commentat. in Verhand. van de Holl. Maatsch. van Wet. te Haarlem.* XXVI.

S. J. BRUGMANS, Oratio inauguralis, de accuratiori plantarum indigenarum notitia maxime commendanda.

WAUTERS, Repertorium remediorum indigenorum. Gandae 1810. Praem. ornat. a Sociét. méd. de Bordeaux A.° 1807.

R. WESTERHOFF, Commentatio ad quaestionem ab ord. discipl. math. et phys. Acad. Groning. propositam: Detur accurata descriptio botanica viginti aut plurium plantarum, in solo Groningano sponte et simul copiose provenientium, adjecta brevi earum historia, in qua elaboranda, loci, in quo nascuntur, temporis anni, quo florent, et usus, imprimis oeconomici, ratio habeatur, in Annales Acad. Gron. 1820—1821. Praem. ornat.

S. GALAMA, Dissertatio botanico-medica inaug. de plantarum quarundam nostratium usu oeconomico et medico. Groningae 1822.

V. J. DE SAINT MOULIN, Responsio ad quaest. bot. ab ord. disc. math. et phys. in Ac. Rheno-Traject. propos.: Detur accurata descriptio botanica et oeconomica arborum: 1°. ulmi campestris; 2°. aesculi hippocastani; 3°. tiliae Europaeae; 4°. quercus roboris; 5°. fagi sylvaticae; 6°. juglandis regiae; 7°. pini sylvestris LINN.; 8°. salicis viminalis; 9°. populi moniliferae; 10°. ribis rubri, in Ann. Acad. Rheno-Traject. 1826—1827. Praem. ornat.

Antequam vero ipsum aggredior argumentum, pium mihi restat officium, ut Vobis nempe, quos Praeceptores aliosque studiorum Fautores me habuisse glorior, gratum testi-

ficet animum pro eximia Vestra institutione, pro saluberrimis Vestris consiliis. Me nunquam singularis humanitatis, qua semper me accepistis, innumerorum benevolentiae documentorum, quibus me cumulastis, familiaris consuetudinis qua me ornastis, immemorem fore, religiose polliceor. Vos quoque in posterum eodem animo quo hucusque me prosequi velitis etiam atque etiam rogo!

I.

Nemo probabiliter erit, qui dissentiat a WUNDERLICHIO, statuente: „Der Punkt, auf den zuletzt all' unser Bestreben, alle unsere Untersuchungen sich richten müssen, ist die Therapie." Unicuique tamen rei medicae non imperito notum est, illam therapiam minime adhuc excultam esse. Nec mirum! Pleraque enim disciplinae, quibus fulcitur, nostro tempore, quo tota Medicina quasi novam induit formam, adhuc in statu nascenti versantur. Inter quas primum occupat locum pharmacodynamia, cujus i. a. est inquirere in effectus cum chemicos, tum phisicos, quos in organismum aegrotantem exserunt medicamenta. Verum enimvero reputantibus, quid hac in re valeat pharmacodynamia, a loco haud alienum videri possit illud poëtae:

„Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus."
Itaque omnibus, quibus curae est, ut tandem existat

therapia vere rationalis, „tristis illius soli” cultura summopere est commendanda. Etiam si probabiliter nobismet non licebit e tali labore uberrimos legere fructus, nostrum tamen est arare, seminare, ut posteritati messis sit abundans. Qui huic culturae operam dare conatur, necesse primum ad simpliciora attendat, quibus absolutis, ad difficiliora animum advertat. Voce „simpliciorum” i. a. intelligo quae facile acquiruntur, fere quotidie in conspectum cadunt, jam ex parte nota sunt. In quorum numero esse plantas indigenas non ampla eget demonstratione. Quare autem plantarum nostratium harumque constituentium effectum in aegrotantes ab iis, qui in Neerlandia medicinam profitentur, exploratum vellem, breviter exponere liceat.

Docet historia usum plantarum indigenarum in medicina apud veteres hujus terrae incolas longe extensorem fuisse, quam posteriori et hodierno tempore, et vegetabilia exotica sensim sensimque pro illis substituta esse. Quasi sponte existit quaestio: utrum majoribus morbis laborantibus in melius cesserit, an in pejus, medicamentorum indigenorum usus, an vero exinde eosdem perceperint fructus, quos posteriores ex exoticis? Cujus quaestionis so-

lutio certissime pro argumento nostro permagni esset momenti. Inde autem praecipue liqueret, an perperam explorationem plantarum nostratium commendem, necne. Nunquam vero eam solutum iri credimus, etiam si fingamus constitutionem hominum, conditiones in quibus versabantur, medicamentorum compositionem modumque administrandi semper — inde a tempore, quo veteres Batavi hanc terram inhabitaverunt, ad hodiernum usque — eadem fuisse. Nam qui talem laborem instituere auderet, tot tantisque impedimentis occurreret, ut mox se ipse sentiret impotentem, qui unquam ad certum perveniret eventum. In quorum numero refero 1^o. quod medici rarissime inter medicamenta propinanda tam accurate inter indigena et exotica distinxerunt, ut haec separatim ab illis praescripserint (quod sane praesertim de medicis posterioribus et hodiernis valet); 2^o. si contra sumamus medicos ad hoc discrimen quidem attendisse, non semper tamen (et veteri tempore quidem fere nunquam) historias morborum, quos tractarunt, litteris mandavere, et 3^o. si omnes historiae morborum a primis inde temporibus ad hodiernum memoriae proditae fuerint, quis tam doctus, qui enuclearet an restitutio vel deterior conditio valetudinis medicamentis adhibitis tribuenda esset, necne: aliis verbis, qui ubique propter hoc et post hoc distinguere posset?

Alia quaestio cum praecedenti cohaerens haec est: cur vegetabilia exotica in nostrum apparatus medicaminum recepta sint? Cujus rei has praecipuas causas esse judico: Gentis nostrae semper fuit hodieque est proprium omnibus adventiciis majorem habere honorem, quam vernaculis. Num jure, hoc loco non inquirendum est. Pro certo tamen haberi potest, illum morem nequaquam nulla fuisse vi in medicina, quin imo non audacius statuere nobis videmur, medicos nostrates saepissime medicamentum aliquod extraneum indigenis praetulisse, — quoniam extrinsecus advectum fuerit. Prout ulterius processit quod cum exteris nostrates habuere commercium, plura a foris advehebantur. Jam statim apparet, qui huic subvectioni favebant plerosque ad disciplinae therapeuticae progressus non spectasse, sed extranea illa ad res venales duxisse, quae magnum sibi afferrent lucrum. Non raro magna impensa et multo cum labore exotica importabantur, quae vero mox oblivioni tradita aliis alienigenis cesserunt. Inde praesertim ingens iste numerus eorum, quae nomine medicamentorum in pharmacopoliis nostris occurrunt, quorum vero pleraque ab iis, qui „paucos habere amicos in medicina” tutissimum existimant, supervacanea habentur. Attamen contendere nolim medicos nostrates interdum non eguisse aliquo remedio, quod efficacius se praestiterit ad curandam aliquam conditionem morbosam, quam

illa, quae occurrebant in pharmacopoliis, et medicamentum exoticum huic desiderio nonnunquam non satisfacisse. Sunt enim adhuc inter exotica aliquot, quibus medicus non lubenter careret, quorum substituentia inter plantas indigenas forsitan frustra quaereret. Sed, uti saepius fit, e paucis plerique mox conclusionem generalem petebant et universe exoticis majorem habebant fidem, quam indigenis, ita ut hisce tandem, quod ad efficaciam medicatricem, omnem vim abnegarent. Non facile tali sententiae assentirer, quamdiu scil. experimenta accuratissima desiderantur, ejus veritatem illustrantia. Fingamus autem talia experimenta revera instituta esse et docuisse inter plantas exoticas efficaciores occurrere, quam inter nostrates. Jam quaeri potest, num medicis semper opus sit remediis efficacioribus, annon contra plerisque in casibus usus minus efficacium optime conveniat? Jam in eo sunt plerique medici hodierni, ut intelligant artem therapeuticam non consistere in medicamentis administrandis heroicis, quibus morbos oppugnare solent alii, quorum plerique valetudinis restitutionem remediis adhibitis tribuendam esse credunt. Potius ab omni medicamine fortiori abstinentes praesertim ad curam diaeticam aegrotantium attendunt, quacum usum remediorum simplicissimorum conjungunt. Qui sic agunt, non modo valorem therapiae non minuere, sed revera

augere, tam ingeniose i. a. demonstravit vir doctiss. DIETL (*Der Aderlass in der Lungenentzündung*; Wien, 1849; p. 112), ut ejus verba lubenter nostra faciamus: „Ist die Wirksamkeit des Arztes darum minder wohlthätig, weil sie einfacher ist? Ist der Arzt darum weniger werth, weil er mit geringen Mitteln grosse Erfolge zu erzielen versteht? Grade die Einfachheit der Therapie stämpelt den Arzt zum grössten, unbestreitbaren Wohlthäter des Leidenden, und die Medicin wird erst dann ihren vollen Segen über die Menschheit verbreiten, wenn sie mehr auf vernünftigen Rathschlägen, denn auf complicirten Arzneiformeln beruhen wird. Wir glauben, dass der Arzt um so beliebter, gesuchter und unentbehrlicher, je natürlicher, einfacher und gefahrloser sein Heilapparat ist, denn die Zeit ist schon da, wo man den Arzt scheut, weil man seine gewagten Eingriffe fürchtet.“ — Quid autem talis medendi methodi ansam dedit? Cur jam in dies plures medici illam curandi viam ingrediuntur? Primo loco: quia viderunt fere non ullum esse remedium, quod in corpora aegrotantium certum exercet effectum, ante usum jam praenunciandum. Quid mirum? Remedia ipsa semper eadem sunt, sed homines, quibus administrantur, jam in conditione physiologica ita inter se discrepant, ut alterius constitutio ab alterius prorsus diversa sit, et nihil adhuc nos docuit omnes

homines in illa conditionis physiologicae modificatione versantes, quae pathologica dicitur, inter se omnibus numeris aequales esse. Contrarium potius verosimile videtur. Altero loco: quoniam saepe experientia didicerunt plerosque aegrotantes sanitatem recuperare posse sub cura, quae dicitur negativa, i. e. absque usu alicujus medicamenti fortioris, inprimis cura diaetetica rite instituta fruentes. Quorum medicorum autem plerique non negant aliquot tamen dari conditiones morbosas, quae, ut in normales restituantur, curam magis activam, usum medicaminum fortiorum requirunt. Atqui tales therapeuticos omnium minime alienos fore credimus ab inquirendo, an plantae indigenae illa fortiora suppeditare possent. — Sunt vero alii, qui universe statuunt nulli medicamento ad morbum qualemcunque sanandum fidem esse tribuendam, quin imo omnia remedia supervacanea habeant. His, qui hoc judicium efferunt, ideo non assentirer, quoniam festinantius agere mihi videntur. Quamvis enim sententiam accipiamus, quod

„Non est in medico semper relevetur ut aeger:

Interdum docta plus valet arte malum,”

nemo argumentis satis idoneis nobis persuadere potest id nunquam fieri. Contra non rari sunt casus, e quibus contrarium probari possit. Praeterea omittunt esse medici non modo sanare, sed etiam

curare, mitigare, quod sane absque medicamentis non facile poterit. Quidni autem inter plantas nostrates talia adessent medicamenta ad hoc consilium sufficientia? — Sunt denique adhuc complures ab his plane diversi, qui nempe ad lectulos aegrotantium accedunt, tanta vi armorum instructi, quibus hostem profligare volunt, ut Aesculapii ministri placidiores risum tenere fere nequeant. Inter haec arma imprimis occurrere e variis terrae regionibus advecta, et desiderari, quae nostra producit patria, jam primo armaturae aspectu liquet. Equidem ego hisce bellatoribus arma adimere non ausim. Tale munus lubenter aliis validioribus committo. Interea ex animo vota facio, ne, inter oppugnandos hostes, interficiant aegrotantes.—

Inter plantas ad Floram Batavam pertinentes sunt nonnullae, quas prae aliis exploratas velim:

1^o. Quamvis hodie medendi methodus, qua plerique utebantur veteres medici nostrates, non magna affici possit laude, inter hos tamen fuisse viros doctissimos, praesertim artis diagnosticae peritissimos, nemo negabit. E scriptis, quae posteritati reliquerunt, patet eos interdum hoc vel illud commendasse medicamentum, quo se faustissimo cum eventu certas affectiones morbosas tractasse asseverarunt. Etiamsi concedamus eos saepe ex observatis falsam collegisse conclusionem, ita ut haud raro post cum prop-

ter commutassent, probabile tamen non videtur eos semper erravisse, credentes prosperum decursum alicujus morbi remedio adhibito tribuendum fuisse. At qui inter medicamenta ab iis laudata non raro obveniunt plantae (vel harum partes) in nostro solo sponte crescentes. Quorum vegetabilium pleraque hodiernis medicis inusitata sunt. Id nondum probare ea invalida esse, e praecedentibus satis patebit. Itaque medici primum ad illas animadvertant plantas, quae majores tantopere collaudarunt, quaeque nomine „obsoletarum” in encheiridiis pharmaceutico-botanicis memorantur.

2^o. Vulgi opiniones de medicaminum vi in corpora aegrotantium universe cum iis convenire solent, quas medici longe ante ipsi defenderunt. Inde forsitan usus permultorum remediorum, quibus ad morbos sanandos imperiti utuntur, nec, uti affirmant, absque fausto eventu, quae vero a medicis hodiernis prorsus negliguntur. Sunt inprimis in nostra patria homines rustici, qui hanc ob rem summa observantia plantas indigenas colunt, quibus saepe majorem habent fidem, quam remediis a medico praescriptis. Quamvis non contendam haec vegetabilia semper effecisse sanitatem restitutam, improbable tamen non mihi videtur inter illa et compluria esse, quae medicus haud sine fructu adhibere posset. Non enim dubito, quin pleraeque plantae, quae nunc a vulgo

in tanto habentur honore, olim a medicis administrata sint. Ne putemus medico esse indignum, inquirere in ea, quae celebrantur a vulgo! Potius suum habeat investigare, an jure tanta fruantur laude, — an ipsi forsitan aliquid conveniret, quod adhuc despexit.

Jam recensentes commoda, quae proficiscerentur ex usu plantarum indigenarum in medicina, sequentia momentosissima nobis videntur:

1^o. Ut medicus de effectu remediorum recte judicet, necesse haec satisfaciant omnibus scientiae postulatis. Quod ad plantas earumque partes i. a. requirit, has sub coelo et in terra idoneis crevisse, modo et tempore aptis collectas esse, rite exsiccatas et conservatas esse et plerumque esse recentes. Facile intelligitur, medicum haec omnia longe melius dijudicare posse de vegetabilibus, quae, ut ita dicam, fere quotidie in ejus adspexit veniunt, quam de iis, quae ex aliis regionibus advehuntur.

2^o. Idem valet de substantiis, quae via chemica ex illis parantur. Non modo multo majorem iis habebit fidem, quarum praeparationem ipse oculis adspexit, sed etiam, si necessarium videatur, quando lubet, hanc facilius mutare poterit.

3^o. Nihil autem majoris est perniciei, cum medici judicio, tum aegrotantis valetudini, quam adulteratio medicamentorum. Quae praesertim fit cum illis, quae a foris importantur. Saepe adulterina tam in-

signem prae se ferunt similitudinem verorum, ut peritissimi quidem, primo aspectu, nullum discrimen animadvertant. Quo fit, ut aeger non raro aliquod sumat medicamentum, plane diversum ab illo, quod medicus praescripsit. Hoc incommodum prorsus evanescet, adhibitis remediis, quae nostra patria supeditat. Omnes enim hic medicinam exercentes, simulac incorruptam integritatem alicujus medicinali indigeni addubitant, statim verum agnoscere possunt, quod sane non semper tam facile cum remediis advecticiis fieri potest.

4º. Non minus usum vegetabilium indigenorum therapeuticis nostris ideo commendarem, quoniam in genere minori veneunt pretio, quam exotica. Quod nempe ét aegris, ét medicis, ét pharmacopolis maxime conduceret. Non raro enim docuit experientia complures esse aegrotantes, imprimis qui humiliori sunt fortuna, (quales tamen non habeo, qui publica egentium cura fruuntur,) qui a medico auxilium non petunt, verentes, ne remedia praescribenda nimii sint pretii, quam quod facile solvere possint. Quare saepe, sua auctoritate, vilioribus medicamentis utuntur plerumque ineptis, interdum prorsus nocivis, dum, si contra, intrante morbo, medicum adhibuisent, haud raro tantum e regimine idoneo diaetico accurate instituto citissime sanitatem recuperassent. Medicus autem, qui remediis vilioribus uti so-

let, illis hominibus valdopere placebit, et statim, imminente aliqua affectione morbosa, ad aegrotos adducetur, qui cito et parvo sumtu sanati sensim sensimque majorem ei habebunt fiduciam, quod sane maximo ei erit emolumento. Pharmacopolae nostrates postremo, qui saepe conqueruntur de magnis impensis sibi faciendis in multa medicamina exotica comparanda, quorum jam plurima a medicis nunquam adhibentur, multo minus de hoc incommodo quererentur, ipsa patria majorum remediorum partem suppeditante. Dein minus eveniret, ut dignitatem suam imminuerent, remediis adulteratis vel medicaminibus, nulla medici auctoritate, administratis. Si denique a viris integris, arte pharmaceutica peritis, novae componerentur formulae, quae indicarent, quanti singula remedia e Flora nostra collecta a pharmacopolis venditari debeant, persuasum mihi habeo constitutum iri pretium, quo tantum iis afflueret lucri, ut diutius iis opus non esset viam ingredi sua persona et dignitate quam maxime indignam.

5°. Ex omnibus, quas de egentium cura et pauperismo imminuendo prolatas accipimus sententiis, ea inprimis mihi arridet, quae beneficia opulentiorum nonnisi in paucos conferri vult pauperes, ita nempe, ut iis talis operandi praebetur occasio, qua ex suo labore ipsi sibi victum parare possint. Jam si medici nostri potissimum adhiberent plantas indigenas,

primo loco permultis hominibus opus esset, qui plan-
 tas varias hic et illic crescentes colligerent, et certo
 quidem plures, quam qui hucusque huic labori in-
 cumbere solebant. Deinde fieri posset, ut novi horti
 medici aedificarentur plantis indigenis colendis, quarum
 culturam longe facilius prosperum secuturum esse
 eventum, quam exoticarum, vix dictu opus erit. Quo
 facto, cum hominibus in angustiis viventibus oppor-
 tunitas daretur quaestus colligendi e suo labore, tum
 studium rerum naturae cognoscendae iis excitaretur,
 quod semper hominem ornat.

II.

Erunt forsitan nonnulli meo proposito ideo non faventes, quoniam homine indignum credant in alios homines, et in aegrotantes quidem, experimentari. Eos autem perperam judicare, facile apparet: Quenam enim hucusque therapia aliis fulciebatur fundamentis, nisi empiria et experimentis? Num fere unquam ratione nitebatur administratio novi alicujus medicamenti? Nonne potius tota therapia ars exploratoria dici meretur? Quis enim certus de eventu alicujus remedii aegrotanti praescripti? Quid medici fere quotidie aliud faciunt, nisi experimentari? Nunquam enim subtilitate mathematica omnes, quos in aegrotantium corpora excercebit effectus aliquod medicamentum, a priori ad calculos vocare possunt. Quid autem obstat quominus eandem viam persequantur, quamdiu magis rationalis nondum aperta? Ne, precor, majus sibi injiciant scrupulum de explo-

randis substantiis, quarum vis e maxima parte (v. s. p. 8 et 9,) jam propemodum nota est, quam de adhibendo ingenti isto numero radicum, corticum caet. quae perpetuo a foris importantur, nihil prae se ferentes nisi laudem, qua extranei eas celebrarunt. Qua laude vero eas utique indignas esse, contendere nolim. Sed hac in re plerique therapeuticorum errare mihi videntur. Omne enim, quod aliarum regionum incolis convenit, nondum propterea nostratibus conducere debet. Nemo addubitat, quin id jam valeat respectu conditionis physiologicae in qua variae versantur gentes; cur autem contrarium verum esset pro conditione pathologica? Quid, ut aliis utar verbis, demonstrat omnes hujus orbis nationes, si aegrotent, ita sibi aequales fieri, ut similem requirant curam, ut iisdem egeant medicamentis. Contra persuasum mihi habeo singulas gentes suo more therapeutice esse tractandas, quia jam physiologicae tantopere inter se discrepant. Itaque pharmacodynamia universalis, quae scilicet pro omnibus valet gentibus, nunquam componi poterit, sed pro singulis populis, qui vivendi more physiologico a se invicem differunt, aliam esse instituendam, quin statuam, non dubito. Me, ubi hic de gentibus loquor, non spectare ad terrarum divisionem politicam, vix est quod moneam.

Jam quaeri potest, quomodo experimenta sint in-

stituenda, ut tandem eventus aliquis certus inde redundet? Cujus quaestionis responsio perdifficilis haberi potest. Nam de remedia administrandi methodo fere tot sunt sensus, quot vivunt medici. Quamobrem melius illum explorandi modum hujus loci delineare mihi videor, eo magis, quum hac de re alibi latius acturus sim. Itaque omnes, quibus cordi sunt scientiae progressus, plantas nostrates, ubi verae non adsint contraindicationes, adhibeant in aegris curandis, et in omnes, quos exserunt effectus in aegrotantium corpora, inquirant. Credo in nostris nosocomiis publicis, saltem in majoribus, hanc investigationem optime posse institui, in quibus nempe perpetuo cura aliquot aegrotantium medico peritissimo committenda esset, qui, quantum fieri possit, ab usu remediorum, quae aliunde advehuntur abstineat, dum his, ubi requiri videntur, substantias e Flora indigena substituat. Hasce contra diversas affectiones morbosas variis dosibus et formis administret. Simul quam maxime ad curam diaeteticam aegrotantium attendat. Experimenta eadem quam saepissime repetat. Omnia porro, quae, durante usu, et postea observat, accurate litteris consignet. Ne hac in re quod primo adpectu simplicissimum quidem appareat phaenomenon negligat. Annotata per longum temporis spatium simul cum iis, quae hac de re alii medici in praxi, quae dicitur, civili experti sunt, et chartae manda-

runt, in unum colligantur, et iudicio virorum in medicinae theoria et praxi probe versatorum submittantur, qui denique omnes intendant vires, ut tales inde deducant conclusiones, quas nemo, qui, rei medicae gnarus, sana fruitur ratione, in dubitationem vocare possit. Hisce experimentis de remedium vi in aegrotantes alia addita velim effectus physiologicos, i. e. quos exserunt in homines prospera gaudentes valetudine illustrantia. Attamen dum loquor de effectu alicujus substantiae in hominem cum aegrotantem, tum sanum, non modo ad subjectiva symptomata specto, quae ab iis percipiuntur, qui eam sumserunt, sed imprimis ad illa, quae vere objectiva dici merentur, i. e. ad omnes mutationes chemicas et physicas, quas medicus ipse agnoscit in corpore, in quod intraverit illa substantia. Quae mutationes saepissime perdifficile, quin imo interdum nullo modo indagari poterunt. Quam ob rem insuper aliis opus erit experimentis in animalia, eo consilio instituendis, ut varias illas mutationes in diversis organismi partibus usum medicaminum sequentes melius cognoscamus, quum faciliora se tali praebeant investigationi, quam homines. Statim tamen apparet, his experimentis praecedere debere analysin accuratam omnium constituentium remedii adhibiti; nam recte jam pronunciavit praestantissimus LINNAEUS: „medicum oportet non vacil-

lare, sed incedere pedibus duobus firmissimis, ratione nempe et experientia, manibus quoque duabus polleat expeditissimis, cognitione nempe morbi et medicamenti," caet. Itaque non modo e Clinico medico sed etiam e Laboratorio chemico leges pharmacodynamiae proficiscantur. Existit autem hoc loco quaestio difficilis: quibusnam viris inter nostrates illud munus committendum? In promptu quidem est responsio: pharmacopolis! Iis enim solis incumbit talem operam impendere in disciplinas chemicam et botanicam suas faciendas, ut omnia problemata ad eas disciplinas pertinentia (si saltem solvi possint,) iis solvenda mandare liceat; cui labori optime praeterea vacare possunt. Nihilominus quaestionem difficilem contendimus. Arcte nempe cohaeret cum alia: quibusnam pharmacopolis? Ad quam, proh dolor, non habeo quod respondeam. Inter mille enim quos habet patria pharmacopolas, viginti vix reperire possis rei pharmaceuticae vere studiosos. Quae rerum conditio si semper obtineat, proposito nostro certe nunquam satisfieri poterit. Ipsi videant me non absque causa pharmaciae conditionem tam tristem proponere, reputantes i. a. nostram Floram constare circiter 2800 plantis (tam phanerogamicis, quam cryptogamicis), ut, si singuli pharmacopolae analysin horum vegetabilium instituere voluissent, i. e. unusquisque ad summum 3 plantarum, jam

totius nostrae Florae conspectus chemicus intra brevissimum temporis spatium componi potuerat. Obiicient fortasse plerarumque plantarum analysin jam ab aliis extraneis esse factam meque delegabunt ad regulam: vegetabilia, quae ordini naturali conveniunt, similibus gaudere constituentibus. At plantae, quarum analysin instituere extranei, non fuere nostrates. Et quod ad regulam illam, itidem ad plantas tantum extraneas referenda est. Attamen eam pro omnibus valere familiis nondum probarunt experimenta. E contrario qui apud externos huic rei operam dederunt, eam nequaquam ad omnes spectare ordines systematis naturalis concluderunt. (Conf. i. a. Comment., auctore E. SOUBEIRAN, in *Verh. der Holl. Maatsch. van Wetensch. te Haarlem*; XVII. 1^e. stuk; p. 165—223.) Nemo autem, quantum scio, in plantas quas nostrum alit solum hoc respectu inquisivit, ita ut omnia, de quibus hac de re nobis constat, ad plantas alienigenas pertineant. — Similiter pathochemia hucusque fere a nemine inter pharmacopolas Neerlandicos esse cultam, quis est, qui ignoret. — Spero autem fore, ut omnes qui rem pharmaceuticam curae habent magis magisque intelligant quibus postulatis hodierno tempore satisfacere debeant, et exemplum sumant a paucis illis commilitonibus, suo officio melius fungentibus. Utinam sic aliquando, iis

VII.

Permulta hucusque ad animalium ordines inferiores relata, ad vegetabilia pertinent.

VIII.

Metamorphosis animalium inferiorum in plantas et contrarium nunquam fit.

IX.

Omnia phaenomena, quae observantur in plantis, e processibus chemicis vel physicis proveniunt.

X.

Ohne Studium der Entwicklungsgeschichte giebt es keine Wissenschaft der Botanik.

SCHLEIDEN.

XI.

La physiologie végétale n'est point un résultat d'abstractions métaphysiques; c'est l'histoire fidèle des plantes dans tous les moments de leur vie; c'est la description exacte de leurs organes; c'est l'observation réfléchie des phénomènes de leur développement et de leur reproduction; c'est la chaîne des expériences multipliées, qu'on a entreprises pour découvrir leurs rapports avec les êtres qui les environnent.

SENEBIER.

XII.

L'étude des matériaux immédiats des plantes, sur laquelle repose toute la connaissance de leur nature

intime, de l'art de préparer les végétaux pour nos besoins, et de la possibilité de les remplacer les uns par les autres, cette étude, dis-je, offre encore une foule de lacunes.

DE CANDOLLE.

XIII.

Als therapeutisches Mittel (Heilmittel) ist Alles anzusehen, was auf ein krankes Individuum günstig einwirken kann.

WUNDERLICH.

XIV.

Alle Agentien und Stoffe, welche zu therapeutischen Zwecken in Anwendung kommen, gehören dem Modus ihrer Einwirkung nach dem physicalischen oder chemischen Gebiete oder beiden zugleich an.

OESTERLEN.

XV.

Le vrai talent du médecin, c'est d'éviter à son malade des médicaments inutiles. — — — — On risque de passer pour ignorant devant le public en ne prescrivant pas de médicaments, tandis que si cette retenue est le résultat d'une conduite éclairée et réfléchie, elle est la plus belle preuve d'un grand talent.

MÉRAT.

XVI.

Man heile niemals nach dem Namen der Krankheit, sondern nach Indicationen.

RICHTER.

—
XVII.

Venenum in cadaveris tractu intestinali repertum
nondum veneficium probat.

XVIII.

Absentia tussis pulmonum integritatem non de-
monstrat.

XIX.

L'art d'éviter les opérations chirurgicales doit
préceder celui de les bien faire.

BICHAT.

XX.

Chirurgia sine exacta medicinae cognitione clau-
dicat.

XXI.

Interdum pseudoplasmata, quae vocantur, maligna
cultro sunt auferenda.

XXII.

Recte statuit DE LA MOTTE: artem obstetriciam
solis viris esse committendam.

XXIII.

Sonis cordis foetus auditis, pro certo ejus vita ha-
beri potest.

XXIV.

Mater sana optima nutrix infantis.

—